

*putandi, qui servire possunt & volunt, cap. super inordinata. 35. de Præbend. nullatenus profectò deficientes in ætate, præsumi debent idonei, qui propter ipsum ætatis defectum non possunt deservire, ibid.*

70. Ita optimè Mæcenas, & quidni etiam Elector, præsumebat, & suadebat Octaviano, ne ad Equestrem dignitatem eligeret minores octodecim annorum: *Cum enim, aiebat, huiusmodi suorum bonorum administrationis non concedatur, concedetur Reipublicæ? Paul. Diacon. lib. 53. Histor. Incivile est, & contra naturalem ordinem, eundem esse Reipublicæ tutorem, & ratione suæ ætatis sub tutela constitui: eundem esse curatorem, & sub cura agere. Leg. fin. Cod. de legit. tutel. Et eum, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere nescitur, & ab alijs regitur, aliorum tutelam, vel curam subire. §. Minores. Instit. de Excusat. Tutor. vel Curator. Et sanè in sua potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis. leg. sic eveniet. 21. ff. ad leg. sub. de adult. quomodo ergò Elector eum præsumat capacem & idoneum ad regendos alios, qui per ætatem nescit regere seipsum? exercere potestatem in alios, qui necdum suæ est potestatis? tutelam & curam subire aliorum, qui in suis rebus administrandis eget alieno auxilio? &c.*

71. Et esto, sentiamus cum S. Hieronymo in orat. ad Paulinum: *non in homine ætas, sed virtus spectanda est.* Cum Cicerone Philipp. 4. *Perfecta est ætas, ubi est perfecta virtus:* Et esto, ætatem minorem quandoque ad regimina fuisse elevatam ex Tacito Lib. 11. *Annal. nec ætas quidem distinguebatur, quin prima Juventa Consulatum ac Dictaturam inirent.* Et esto, Minores, imò etiam infantes in Decurionum numerum relatos fuisse. *Leg. Imperatores. 13. ff. de Decurion. leg. Lucius. 21. §. Imperat. 6. ff. ad Municipal. leg. sicut. 1. Cod. de munerib.* Quia verò exceptio firmat regulam, & quæ unò fortè aliquò casu accidere possunt, in legem & consequentiam non trahuntur. *Leg. ex his. 4. ff. de legib. ac magis attendi debeat ad ea, quæ & frequenter & facile, quam quæ perrarò eveniunt. leg. nam ad ea. 5. cod. tit.* Quidni Elector potius præsumat pro Candidato in ætate provectiore, quam juvene? Viro potius, quam adolescente?

Si tamen inter duos Candidatos, supposita ætate à legibus præscripta, uni suffragetur ætas provectior, alteri maior virtus, hunc elige, quia plus valet virtus quam ætas. Tuarum autem partium erit, sedulam impendere curam, ut suffrageris eidem, cui & ætatis maturitas, & gravitas morum assistat. *cap. cum in cunctis. 7. cap. dudum. 22. de Elect.*

In bis puerum, caveat Elector, ne conferat votum suum; senecionibus quippe & bis pueris non vires, nec animus, nec ingenium, nec prudentia, nec memoria suppetit regendi Rempublicam, de quibus Poëta:

*Stat dubius, tremulusque senex, semperque malorum*

*Credulus & stultus, quæ facit ipse, timet.*

*Laudat præteritos, præsentis despicit annos,*

*Hæc tantum rectum, quod facit ipse, putat.*

Nec in hosce Seneciones, & bis pueros 73. cadit præsumptio Juris, ut semper seniores iuniori præferamus. *Leg. fin. ff. de fide Instrum.* Etenim tunc demum venerabilis est senectus, & iuventuti tunc præferenda. *Leg. semper. 5. ff. de Jur. Immunit. quando autoritas senis non vilesceat, prudentia non tabesceat, matura tarditas non pubesceat, gravitas senilis habet timorem. cap. omnis ætas. 1. caus. 12. quæst. 1. & disciplina politica ac Ecclesia servari facta testis potest. Cap. quia frater. 18. caus. 7. quæst. 1.* Ubi verò in senecione duntaxat umbra, noménque hominis relictum est, vires corporis effectæ, sensus oculorum, atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus &c. Salust. quis eum candidò dignum calculò æstimet?

Ex litteratura Candidatorum benè præsumit Elector ad eligibilitatem: Si enim contra Deum & contra Canonicas Sanctiones est tolerare defectum illitteraturæ. *cap. quamvis. 15. de ætat. & qualitat. & Ord. præfic.* si ignorantia mater cunctorum errorum est. *cap. ignorantia. 1. Dist. 38.* si incitia in ijs, qui præsunt, nec exculatio. nem nec veniam meretur. *cap. si in Laicis. 3. ead. Dist.* si ignorantio scripturarum, ignorantio Christi est. *cap. si iuxta. 9. ead. Dist.* si cæcum animal offert, qui indoctum elevat, Magistrumque facit, qui vix discipulus esse potest. *cap. fin. Dist. 49.* si quis vilissimus est computandus, & minimè honore præstantior, nisi præcellat scientiâ & sanctitate. *Cap. vilissimus. 45. caus. 1. quæst. 1.* Quomodo erit foliò dignus, qui nec scabellum meretur? quomodo ex superiori cathedra docebit, qui nec ad prima subsellia conscendit? Quomodo sceptrum manu reget, qui sub virgula Hypodidascali elementarius & Abecedarius est?

Malè sentiret Elector, & præsumeret pessimè, si asinum iudicaret coronandum; 75. quid autem est Princeps ignavus, nisi asinus coronatus? pessimè, si carbonem iuberet esse Solem publicis usibus expositum sine nativo domi lumine; quid autem est Princeps & Prælatas illiteratus, nisi splendidum simulachrum sine radijs? pessimè, si co-